



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*QUAECUMQUE DOMUS* IN ITALIA TEMPLUM
CATHEDRALE CALLIENSE, BEATAE MARIAE VIRGINI IN

CAELUM ASSUMPTAE SACRUM, AD HONOREM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Quaecumque Domus Dei decorem Nobis augere videntur, ea libenti animo studemus comparare. Quoniam igitur
Venerabilis Frater Constantius Micci, Episcopus Fanensis, Forosempronienensis, Calliensis et Pergulanus, litteris datis die
XVIII mensis Septembris superioris anni, cleri populique sui etiam nomine ab hac Apostolica Sede petivit ut cathedrale
templum Calliense, Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae dicatum, ad gradum Basilicae Minoris eveheretur, Nos
admotae expostulationi plane concedendum esse putamus, ratione praesertim habita tum istius sacrae aedis vetustatis,
tum pietatis fidelium qua ibi Deum, gloriosam semper Virginem Mariam et Sanctos caelites pie colunt. Iis ergo probatis
quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, facta Nobis potestate, hac de re gesserit, Apostolica Nostra
auctoritate usi, cathedrale templum Calliense, de quo sermo fuit, ad Basilicae Minoris dignitatem tollimus, cum iuribus
atque privilegiis rite competentibus iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis
Iunii anno MCMLXVIII editum, servanda sunt. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub
anulo Piscatoris, die XXIV mensis Septembris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card.

CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana
